

- 1264 rique urbem acrius oppugnarent, strenue tamen & oppidum & præsidium tutatus est. Genuenses interea & ipsi haudquaquam in ocio fuere, sed cognita per exploratores navis Venetæ unius (quam Validam arcem vulgo appellabant) decemque onerariarum ex Venetiis protectione, quæ mercibus onustæ in Asiam cursum intenderant; ad ipsum Hadriatici sinus exitum triremes sexdecim post scopulum insidiis locant. Speculatoria navis rem ipsam negociatoribus trepide nunciat: qui rei periculo perculsi, rebus confestim in littus expositis, quod Epirotarum præsidio tenebatur, naves vacuas hostibus (qui, cognito Venetorum consilio, ex statione profecti jam in conspectu erant) relinquunt. Quidam annales habent, Michaelē Aurium fuisse Ligusticæ classis Præfectum, mediisque fluctibus concursum, novissime vero Venetos catæ unius magnitudine ac robore nixos, cæteris cum merce amissis, Venetias retro abiisse. Ad eam cladem Veneti non modo non animum remiserunt, sed quasi stimulo quodam ingentes illorum spiritus adacti, haud quidem multo interjecto tempore septem triremes Jacobo Dandulo Præfecto in Dalmatiam mittunt: cui mandant, ut si e Republica videretur, alias quoque, quæ ad præsidium insularum essent, naves his jungeret. Ex Jadera igitur tribus acceptis, ad fretum usque Siculum est progressus, ubi illi tres aliæ Cretenſi remigio instructæ præsto affuere. Iis non multo post quatuor ex Eubœa adjiciuntur: auctoque in hunc modum navium numero, Dandulus Ragusium venit, ubi Marcum Gradonicum cum decem longis navibus offendit. Una igitur classe ex duabus facta, in Siciliam transmiserunt. Hic omnem insulæ oram quæ ad ortum spectat, circumvecti, & eam fere totam quæ post Pachynum promontorium ad meridiem jacet, circa Lilybæum tres Genuensium triremes, quibus Lanfrancus Borbonius præerat, sibi obvias opprimunt. Qua clade Genuam perlata, duodetriginta triremes confestim ad novam injuriam ulciscendam domo profectæ sunt: quæ continua navigatione, ut hostem assequerentur, in Siciliam delatæ, ad Drepanum Venetos in portu stationem

*Michael
Aurium ad-
exitum Had-
riatici sinus
aliquor Ve-
netas naves
oppressit.*

1265
*Veneti in
Siculorum
conspectu ad
Drepanum
Genuenses
ingenti præ-
lio vincunt.*